

arbitrium? Nonne nova est hæc sententia, nulla bona opera esse necessaria, sed solam fidem sufficere ad vitam æternam consequendam? Numquid non est etiam novum dogma, Concilia generalia probe (ut decet) congregata posse in fide errare, atque ideo eorum decretis nos minime obligari? Nova certe sunt hæc omnia, nisi forte dicas id eo non esse nova, quia alii ante te hæretici illa confixerunt. Hoc enim est tibi peculiare, ut raro ex vino defecato, sed ex fecibus ab Ecclesia rejectis sapissime haurias. Verum etsi hoc ita se habeat, ea tamen quæ semel antiquata sunt, incipiunt aliquando esse nova, quia tunc renovantur. Sic quamvis errores tuos plures ex Valdensibus, Vviclephitis, aliisque huiusmodi farinae hominibus hauseris, quia tamen eos jam diu ab Ecclesia rejectos atque explosos refumpisti, & velut jam diu sepultos ab inferis fuscitasti, ideo errores tui novi nunc sunt ac dicuntur. Si ergo hæc nova, & tamen asseris, pertinaciterque tueris, quæ numquam per Apostolos tradita, neque ab eorum successoribus conservata sunt, numquid non incidisti in foveam quam fecisti, & laqueum quem parasti aliorum pedibus, quum dixisti nemini licere nova dogmata prædicare, sed tantum ab Apostolis accepta conservare? Tibi ergo qui novas inducis doctrinas, incumbat probare quæ asseris, & eaque miraculis apertissimis confirmare, prout fecit Christus, & ejus Apostoli fecerunt. Nobis autem qui tam vetustam totius Catholicæ Ecclesiæ fidem tenemus, non incumbit probare, cum jam non sit nova dicenda doctrina, quæ per tot sæcula est ad hunc usque diem conservata, & tot miraculis confirmata: quapropter non est opus ut non probemus quæ jam probata atque confirmata sunt. Secunda conjectura ex qua subodorari possimus hæreticum, est nimia libertas in pronunciando, ad quam sunt aliqui adeo proclives, ut non dubitent quicquid in buccam venerit asserere. Quod autem semel prodidit definiendi temeritas, superbia postmodum tuetur, & sapissime auget pertinacia: quoniam superbia suadente fit, ut quod semel temere dictum est, recantare nolit: quapropter errori adjuncta pertinacia, consummatum facit hæreticum. Qui ergo ita liberrime de rebus feriis & ad fidem spectantibus pronuntiat, & quacumque facillima ratione persuasus, sine ulteriore investigatione, aut doctorum aliorum virorum consilio, statim decernit sibi ipsi fidens, hic certe merito suspicionem hæretici incurrit, ut hæreticus esse putetur, vel in hæresim eum citissime lapsurum credatur. Unde beatus Jacobus ep. 1. ait: *Si quis putat se religiosum esse non refranans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* Et iterum cap. 3. *Lingua inquietum malum, plena veneno mortifero.* Quapropter Beatus Gregorius exponens illud Job

FINIS LIBRI PRIMI.

Respondete quæso absque contentione, & loquentes, id quod justum est judicate, sic ait: „ Qui in dictis suis reprobationem non metuit, ipse prius debet examinare quod dicit, quatenus inter cor & linguam, æquus quidam discretus, utique arbiter sedeat, subtiliter pensans, si recta verba, cor offerat, quæ utiliter suscipiens ad auditorum judicium lingua perducatur. Beatus igitur Job, sua contra „ amicos agens, sed contra hæreticos nostra denuncians, „ præcipationem loquentium reprehendit, atque ad eorum mentem verba recolligit, dicens: Loquentes, id „ quod justum est judicate: ac si aperte diceret: Si in eo „ quo ad nos per egressum loquutionis exitis, reprehenditis, non vultis, inus justitiam libram tenete, ut tantum foris quod dicitur, ex veritatis pondere placeat, quantum hoc interius trutina discretionis pensat. Huc utique Gregorius. Tertium unde conjicere licet aliquem esse hæreticum, est id quod ferme omnibus hæreticis est proprium, ut videlicet si quis eum correxerit, ut ab errore suo revocet, offendat illico impatientiam. Qua in re, quantumcumque hypocrita sit, & sanctus videri curet, eorum hypocritis inde detegitur, quod simul atque a quopiam fuerit admonitus, statim pro beneficio regetur maledictum, convitiis & contumeliis insanians, impatiens ab alio doceri. Si enim commonefacis ut ab errore respiciatur, non emendatior, verum deterior & pestilentior evadit. De his ait Paulus: (1. Tim. 4.) *Mali homines & seductores proficient in pejus, in errorem mittentes, & ipsi errantes.* Hujus rei apertissimum se nobis præbuit exemplum Lutherus: qui cum pauculos quosdam à principio effutisse errores, de eis admonitus à pluribus doctis viris, tantum abfuit ut recantare vellet, ut peiores multo plures addiderit errores. Deinde vero quum à serenissimo Anglorum Rege per scripturam fuisset correctus, cumque regatarij illi debuissent, aut saltem modeste respondere, convitiis & injuriis eum affect. Demum cum à summo Pontifice Leone decimo admonitus obedire nollet, bonus pastor, ne ovis putrida reliquis attackt inficeret oves, ab ovili Ecclesiæ procul abegit. Hujus autem censurae Lutherus impatiens, cepit debacchari in Pontificem Romanum & reliquos omnes Ecclesiæ ordines. Hoc igitur manifestum est hæretici signum, medicinam nullam ferre, nullam manum medicantis admittite: unde evenit, ut insanabilis permaneat. Quomodo enim curari potest, qui se tractari non patitur? aut quomodo tractari potest, quem si quid doces, nugatur? si quid mones, irascitur? si quid horris, obnititur? si quid placas, incenditur? Efficacissima igitur est conjectura ex correctionis impatientia conjicere aliquem esse hæreticum, quia ostendit pettinaciam quæ consummatum efficit hæreticum.

F. ALFONSI DE CASTRO,
ZAMOREN. MINORITÆ.
ADVERSUS HÆRESES.
LIBER SECUNDUS.
PRÆFATIO.

Hactenus de his, quæ ad revincendas hæreses necessaria erant, differimus. Arma namque ostendimus utrisque communia, quibus & nos adversus hæreticos pugnare debemus, & hæretici adversus nos. Judices signavimus, sub quibus certaminis periculum subeundum erit, penes quos potestas sita est de victoria censendi: quod maxime etiam necessarium fuerat, quoniam his sublati nullus unquam foret belli finis. Nam cum gloria cupiditate omnes tangamur, nullus erit qui hastam in certamine abjicere velit, aut herbam porrigere hosti: atque ideo hac ratione esse sine fine bellandum, nisi Ecclesia judice alter cedere cogatur arena, præcipue quum il contra quos acturi sumus, filii dura cervice, & indomabili corde sint. Omnibus ergo (ut decebat) ad bellum paratis, opus est jam ut in campum descendamus, mansue inter nos conferere incipiamus. Non tamen adversus omnes hæreses simul, nec adversus omnium hæreticorum aciem pugnare decrevi, sed ad singulare certamen quamlibet scorsim hæresim provocare. Hæreses autem ipsæ non juxta tempora in quibus ortæ sunt (ut in præfatione totius operis statuimus) sed juxta rerum materias, circa quas versantur, distribuuntur. Ut autem ex hoc nostro labore facilius lector proficere possit, talis servabitur ordo, ut rebus circa quas ortæ sunt hæreses, juxta alphabeti ordinem dispositis, sub unaquaque dictione illæ constituantur hæreses, quæ ad rem per vocem illam significatam pertinere videbuntur. Cum ergo prima Alphabeti littera sit A, eas primum oportebit pertractare res, quarum nomina ab ea littera initium capiunt. Ab adoratione igitur auspiciandam censui, ut primum omnium, tamquam de prima Dei præcepto, quid nos revereri, aut adorare oporteat, sciamus.

ADORATIO.



ANTER omnes quæ hucusque ortæ sunt hæreses, duas tantum apud omnes quos evolvi auctores (qui Deo teste satis magno sunt numero) reperio, quæ sub hac inscriptione merito collocari debeant. Prima hæresis est, quæ adstruit crucem dominicam nullo pacto esse adorandam. Hujus erroris dux arque magister fuit Claudius quidam Taurinensis Episcopus, ut testatur Thomas Vvalden. in lib. de sacramentalibus, titulo secundo, cap. 16. adducto pro hac re testimonio ex Chronicis Ivonis Carnotensis, quæ fateor me non vidisse. Quo autem tempore hæc pestis vigerit quum ille subicuevit, apud alium invenire non potui. Hanc eandem hæresim jam sepulchram, ab inferis suscitavit post aliquot annos quidam Joannes Vvicleph, ut testatur idem Thomas Vvalden. loco proxime citato. Hic Joannes Vvicleph Anglicus fuit, sacerdos, magisterque in artibus, vir ingenio acer, & eloquens, quantum temporis illius penuria valebat (floruit namque circa annum domini. 1380.) multa volumina scripsit, quibus Ecclesiam Catholicam persecutus est. Nam in illis multa & impia dogmata (partit, de jure divino, de humano, de Ecclesia, de monachis, de cæremoniis, de decimis, de obedientia, & de aliis multis, quæ suis locis dicentur. Tempus autem illud cuicumque criminum committendo opportunum fuit, quum Ecclesia tunc in tres partes fuerit scissa, à tribus se pro summis Pontificibus gerentibus. Numquam vero facilius quodcumque crimen proficit, quam bellorum tempore, quo omnia licent, omniaque impune fiunt. Tandem Deo miserante coactum est generale Concilium apud Constantiam pro totius Ecclesiæ unione atque reformatione: in quo inter cætera ibidem acta, 45. articuli ex ejus libris excerpti, condem-

henderetur. Hic primum Lutheranae factioni adhaesit, exemploque Lutheri quum monachus ordinis Sanctae Brigidae fuisset, monachatu rejecto, continentia, quam in religione voverat, posthabita, velut canis ad vomitum reversus, uxorem duxit, ut vel eo argumento nobis suos errores persuaderet. Demum impatiens (ut arbitror) sub Lutheri vexillis militare, aliquid ipsa Lutherana factione magis impium atque blasphemum excogitavit, quo clarior appareret, & proprium levare posset vexillum. Dicit namque Christum in Eucharistia minime contineri, atque ob id idololatrias nominat eos qui Sacratissimam Eucharistiam venerantur adorantque. Quum autem Lutherus in hanc non posset trahi blasphemiam, divisus est hac ratione Oecolampadii à Luthero: factumque est ut qui nomina Oecolampadio dederint, ab eodem nomen receperint, nempe Oecolampadiani dicti. Ut autem hunc errorem revincamus, prius oportet ostendere, verum Christi corpus sub praeteriti panis accidentibus vere & realiter contineri. Nam hac sola ratione (quod sciam) prohibent adorationem Eucharistiae, non prohiberi si veram Christi carnem sub illorum accidentium involuoculo latere crederent. Hoc autem (Deo adiutore) inferius in titulo Eucharistiae ostendimus: quapropter usque ad locum illum erroris hujus impugnatione differatur. Offenso enim ibidem verum Christi corpus sub panis accidentibus contineri, inde manifestum evadit Eucharistiam merito adorari. Quod si forte aliquis tam ingratus est humanitati Christi, quam Deus dispensative assumpsit tamquam instrumentum pro nostra redemptione facienda, ut eam etiam adorare dedignetur, hoc erit nunc solum comprobandum, & id brevibus: quoniam vix credere possum de homine qui se per Christi humanitatem redemptionem agnoscit, ut illam adorare refugiat. Nam licet illa suapte natura indigna sit ut adoretur, ut tamen conjuncta est divinitati conjunctione tali qua omnem excidit humanum angelicumque intellectum, omnem certe venerationem meretur. Propter quod non possum non mirari quum video Lutherum (quis autem is sit postea declaravimus) factentem verum Christi corpus & verum illius sanguinem esse in Eucharistia, & insuper negantem Eucharistiam esse adorandam. Et certe ratio quae illum ad id dicendum movet, est nimium ridicula. Quia (inquit) dominus non praecipit. O insanum argumentum: pessime ergo fecerunt tres illi sanctissimi Magi qui ab oriente venerunt, & intrantes domum, flexis genibus adoraverunt eum in cubulis vagientem. Male etiam Magdalenam & Cananæam, & cæcum natum, & reliquos omnes qui Christo divinos honores exhibuerunt, fecisse dicit Lutherus propterea quod nullus illorum ex praecepto Dei illud fecit. Deinde falsum est quod Lutherus, ait, non esse de hac adoratione illud praeceptum. Nam praeceptum divinum est hoc: (*Deut. 6.*) *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Si autem Lutherus dicat hoc praeceptum de sola divinitate esse intelligendum, & obiecto illi apertissimum ex Propheta Regio praeceptum, quod Deus jubet Christum in duabus naturis existentem adorari: (*Psal. 96.*) *Adorate eum omnes Angeli ejus.* Quae verba Paulus in ea quae est ad Hebraeos epistola, cap. 1. de Christi persona intelligenda esse docet, non quidem de sola ejus divinitate, sed de tota persona in duabus naturis existente. Alioqui male ex illo loco argumentaretur Paulus, volens inde probare, Christum esse superiorem Angelis, quibus Deus pariter praecipit Christum filium suum adorare. Nam si ad solam divinitatem adoratio referenda esset, non lice-

ret inde colligere nisi quod sola Christi divinitas esset Angelis superior, non autem quod persona Christi duas simul naturas contineret. Nihil hic video quod possit respondere Lutherus, nisi forte dicat Angelis datum esse de adoratione Christi praecipit, non autem hominibus. Sed hæc responsio tam ridicula est, ut omnem prudentem atque cordatum virum facile ad cachinum moveat. Nam hac ratione homines essent Angelis digniores atque praestantiores, cum Angeli sint ex praecepto obligati ad Christi adorationem, homines autem sint ab hujusmodi obligatione exempti. Sed his ommissis alia proferam apertissima testimonia, quibus non solum Christi deitas, sed etiam illius caro praecipitur adorari. Primum illud Psalmi 98. quod supra diximus de Cruce: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Ut enim ibi patuit ex Hieronymi auctoritate, inter multa quae scabelli nomine intelligi possunt, corpus dominicum præ cæteris omnibus merito scabellum dici potest, quoniam in eo majestas divinitatis tamquam super scabellum stetit. Hieronymi expositioni consentit Augustinus, exponens eundem locum Psalmi. Sic enim ait: (*Esai. 66.*) „Exponens mihi scriptura qui sit scabellum pedum ejus, dicit: „Terra autem scabellum pedum meorum, ancepis factus sum. Timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cælum & terram. Rursum timo non adorare scabellum pedum domini mei, quia Psalmista mihi dicit adorare scabellum pedum ejus. Quæro quid sit scabellum pedum ejus, & dicit mihi scriptura: *Terra scabellum pedum meorum.* Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsam quæro hic, & invenio quomodo sine impietate adoratur terra, sine impietate adoratur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem ad manducandum ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoratur tale scabellum pedum domini, & non solum non peccamus adorando, sed peccamus non adorando.“ Hæc Aug. Plurima hic præter intentionem ex Aug. habemus: Primo, quod carnem suam ad manducandum dedit, nusquam autem alibi dedit quam in Eucharistia. Est ergo mens Augustini, Christi carnem in Eucharistia contineri. Verum de hoc alias longius. Deinde ipsam carnem adorandam ostendit, dicens: Nemo illam carnem manducat nisi prius adoraverit. Nemo Augustine? Quid dices de Oecolampadio, qui manducans dedignatur adorare, timens in idololatriam incidere? Verba mea (inquit Aug.) ad solos Christianos referenda sunt: è quibus nullus est qui manducet, quin adoret. Nam si adorare recusat, vel hac ratione minime Christianus dicitur, sed hæreticus. Ideo enim dixit quod peccamus non adorando. Hieron. & Aug. consentit etiam Cassiodorus, in expositione ejusdem Psalmi, inquit: „Nunc dicendum nobis est quid in isto versu pedum, des ejus significare videantur, scilicet stabilitatem divinitatis, quæ semper in naturæ suæ omnipotentis gloria, tamquam pedum inde facta stabilitas perseverat. Hujus ergo verbi assumptum corpus, quamvis gloriosum, quamvis magnum, quamvis admirabile, tamen propter humilitatem humanitatis scabellum pedum commpetenter accipimus. Nam cum ipse dicat apud Esai. c. 60. *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum:* corpus terrenum quod de Maria Virgine sumpsit, bene (ut opinor) eadem similitudine scabellum pedum ejus probatur intelligi.“ Hæc Cassiodorus. Quod autem dixit

xit (ut opinor) non hoc dixit quasi expositioni diffidens, sed tamquam homo fragilitatem humani intellectus agnoscens, qui facile decipi potest. Quapropter in his quæ non sunt expressa, viri sancti videntur judicium suum, ac reformidant, ne forte errent, qui longissime ab errore esse volunt. Non sic hæretici, non sic, quoniam hi sententias suas adeo mordicus tenent, ut avelli nequaquam possint. Rursum idem Propheta Regius nomine cujuslibet veri Christiani loquens, dicit se postquam adoratum Dei, quæ est Ecclesia, per fidem intraverit, adoratum ipsam Christi carnem: *Intrabo, inquit ille (Psalm. 5.) in domum tuam, & adorabo ad templum sanctum tuum.* Quæ verba interpretans Cassiodorus ait: „Considerandum est, quod non dixit in templo, sed ad templum: quia nec syllabas ipsas à sacramentis vacare prædicatum est, templum sanctum corpus est Domini salvatoris, quod jure adoratur Ecclesia, per quod meruit esse reverenda. Sic enim ipse de suo corpore dixit: *Destruite templum hoc, & in triduo reedificabo illud.*“ Hæc etiam Cassiodorus. Deinde idem Propheta Regius: quod nomine populi Christiani dixerat se facturum, post ea in alio Psalmo ita factum esse declarat, sic inquit: (*Joan. 3.*) *Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ.* Quæ verba exponens Beatus Augustinus in Commentariis super Psalmos ait: (*Psalm. 21.*) *Manducaverunt corpus humilitatis domini sui etiam divites terræ, nec sicut pauperes saturati sunt ad imitationem, sed adoraverunt.* Hæc Augustinus in prima illius Psalmi expositione, duas siquidem super illum Psalmum fecit. Accedit ad hæc omnia testimonium Alexandri primi hujus nominis Papæ, qui sextus à beato Petro Summo Pontifice egit, & tandem martyrio coronatus est. Is enim in prima epistola sua quam ad omnes fideles scripsit, de sacrificio iniuste differens, hæc ait: „Ideo & passio ejus in his commemoranda est, qua redempti sumus, & sæpius recitanda, atque hæc domino offerenda: talibus enim hostiis delectabitur, & placabit Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in sacrificiis majus esse potest quam corpus, & sanguis Christi, nec ulla oblatio hæc potior est, & pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda: & sicut potior est cæteris, ita potius excoli, & venerari debet.“ Hæc Alexander primus. Ex quibus verbis apertissime constat sacratissimam Eucharistiam esse magna cum reverentia adorandam. Verum de hæc re admonere oportet, ut licet humanitatem Christi propter conjunctionem adorandam dicamus cum divinitate, longe tamen minus si seorsum concipiatur. Non enim humanitati cultus lætiæ tribuitur quoniam is soli Deo debetur. Denique adoramus, aut veneramus humanitatem, non propter se tantum, sed causa divinitatis cui conjuncta est, ad quam divinitatem adoratio ipsa referenda est tamquam ad ultimam illius causam. Quod si forte cultus lætiæ adoratur humanitas, hoc erit ea ipsa adoratione unica qua adoratur Christi persona in qua humanitas subsistit, qua una adoratio omnia in ipso subsistentia adoratur. Unde Damascenus libro quarto de Fide orthodoxa, capite tertio: „Cuius igitur Christi secundum ipsius naturam (si subtilibus cogitationibus, quod videtur ab eo quod intelligitur, cogitationeque humanitatem à divinitate præcindas) inadorabilis est, ut creatura. Unita autem Deo verbo, propter ipsum, & in ipso adoratur. Eo namque modo quo Rex, & nudus adoratur, & indutus purpura, &

„nuda purpura, & conculcatur, & proicitur, facta autem Regis amictus honoratur, & glorificatur, & si quis illam proterere præsumperit, per hæc morte multatur: & quemadmodum lignum nudum non est tactu inaccessibile, atque igni conjunctum, & carbo factum, non propter seipsum, sed propter conjunctum ignem inaccessibile fit, & non ut ligni natura tactu inaccessibile est, sed ut carbo, id est, quando ignitum est lignum: sic & caro secundum sui naturam non est adorabilis, adoratur autem in incarnato Deo verbo, non propter seipsum, sed propter conjunctum ipsi secundum hypostasim Deum verbum. Et non dicimus quod carnem adoramus nudam, sed carnem Dei, id est, incarnatum Deum.“ Hucusque Damascenus. Quapropter Cassiodorus postquam exposuit scabelli tropum, subjungit: „Et nota, quia non dixit quoniam sanctus est, sed quoniam sanctum est, scilicet ut corpus à Deitate, mentis contemplatione non discerneres, sed ad unam personam referres, id est, ad Verbum quod caro factum est, & habitavit in nobis.“ Hæc Cassiodorus. Sicut ergo caro Christi non perse subsistit, sed in verbo, eandemque cum illo habet hypostasim: sic etiam nec per se adoratur, sed in verbo: atque eadem unica adoratione qua Christum colimus, veneramus humanitatem quæ in illius est hypostasi. Neque hoc mirum videri debet alicui, quoniam sunt multa quæ propter conjunctionem quam ad alia multo illis nobiliora habent, aliqua ab illis mutuuntur, quæ per se consequi non possent, nec tamen eis aliquid de sua nobilitate vice versa mutant: ut (gratia exempli) corpus si ab anima separet, non movetur, non audit, non videt, non gustat, non utitur, non augetur, non denique vivit, ex animæ tamen conjunctione hæc omnia habet, vivens enim corpus dicitur anima illi vitam præstante, nec tamen eadem ratione anima aliquid de corporis corruptione recipit: sic etiam fieri potuit, ut caro humana propter Verbi unionem hoc ab illo recipiat, ut una cum illo adoretur. Verum de his satis. Adeo namque ista sufficiunt, ut superflua fortasse alicui videantur: quoniam si Christi caro sub illis præteriti panis accidentibus latet, ut infra Deo adiutore me ostensurum promisi, erit etiam eadem ratione quadam peculiari existentia ibidem Filii Dei persona, cum hic carnem humanam quam semel assumpsit, nusquam à se postmodum separaverit. Quod si notus est ibi Christus in duabus naturis subsistens, proculdubio sacratissima Eucharistia merito adoranda, sive humanitas ejus adorabilis sit, sive non. Non enim colimus illa panis accidentia quæ videmus, sed illud quod sub illis latet, nempe Christum Dei Filium, & per illa quæ foris videmus, consurgit animus ad cultum eorum quæ non videt. Unde Augustinus, libro tertio de Doctrina Christiana sic dicit: „Qui vero aut operatur, aut veneratur utile signum divinitus institutum, cujus vivi significationem intelligit, non hoc veneratur quod videtur, & transit, sed illud potius quo talia referenda sunt.“ Hæc dicit Augustinus. Postremo contra hanc hæresim est aperta catholica Ecclesiæ definitio. Nam Concilium Tridentinum sub Julio tertio celebratum sessione tertia, cap. 5. suorum decretorum hæc ait: „Nuda illius itaque dubitandi locus relinquitur quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, lætiæ cultum, qui vero Deo debetur, huius sanctissimo sacramento in veneratione adhibeant. Nec enim

tamen Taurinensis non cogit, an prohibuerit has solum imagines crucis Christi adorari, an ipsam etiam crucem in qua Christus nostram operatus est salutem: quoniam ex illo nihil aliud reperire potui, præter fragmentum quod ex Ivone Carnotensi à Thoma Vvalden. citatur. Quicquid tamen asserat, certum est illud eodem gladio ferendum, quo Joannem Vvicleph, quem hic utrumque prohibuerit. Nunc ergo solum præsentis proposito convenit probare crucem illam in qua Dominus pependit, merito adorandam esse. Nam quod imagines illius adorari debeant, ad aliud spectat negotium, quando inferius in titulo, Imago, de omnibus simul imaginibus differemus, qualiter tolerentur, & ad quid earum usus in Ecclesia proficit. Adorationem hanc crucis, quam nunc inquirimus, Propheta explicat, (Psal. 98.) dicens: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Quod autem verius scabellum Christi, quam crux, cui pedes illius affixi sunt? Nam est alia sint quæ merito scabellum Christi dici possint, ut humanitas ejus, nil tamen obstat quin crux etiam scabellum ejus dicatur, quod adorare Propheta præcipit. Unde Hieronymus exponens locum illum Psalmi, sic ait: „ Multæ opiniones, de scabello sunt, sed hoc proprie corpus dixit dominicum, in quo „ majestas divinitatis tamquam super scabellum stetit. Quod autem adorari debeat, eo ascendente docuerunt „ Apostoli, quum adorantes regressi sunt in Hierusalem. „ Ad Crucem dominicam, & ad animam sanctam hæc re- „ ferenda sunt. „ Hæc ille. Videt hic, qualiter ex Hiero- „ nyymi sententia scabellum sit corpus dominicum, scabel- „ lum sit anima, scabellum etiam sit crux dominica. Hæc autem adorari una voce præcepit Psalmista, dicens: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Idem etiam Propheta (Psal. 131.) eandem sententiam replicat, di- „ cens: *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Quem locum pertractans Casiodorus, postquam eum juxta allegoriam exposuit, ait: „ Quod si hoc ad historiam pie velis referre, significat for- „ te sanctam crucem, ubi corporaliter stetit, quando in „ ea confixus apparuit. In qua stetit recte dicitur, ubi „ corpus ejus infixum fuisse monstratur. Merito ergo „ hunc Propheta locum dicit adorandum, qui nobis & „ fidei signum præstitit, & salutem. „ Hæc Casiodorus. Hinc patet Casiodorum asserere crucem dominicam ado- „ randam, nec tamen ex suo tantum sensu, sed prophetico innixum testimonio. Ne autem causeris ex sensu mystico non esse sumendum argumentum, vide quid dixerit, eam scilicet expositionem esse juxta historiam. Verum ne Casiodoro in hac parte velut unico testi diffidas, producam ejusdem rei alium, ut in ore duorum stet omne verbum. Damascenus namque in libro quarto de fide orthodoxa, cap. 12. de crucis dominicæ ligno differens, sic ait: Ip- „ sum nimirum pretiosum, & perquam verè venerandum, in quo semetipsum in hostiam pro nobis Christus obtulit, ut sanctificatum tactu sancti corporis & sanguinis, decen- „ ter adorandum, clavique & lancea, & indumenta, & sacra ipsius tabernacula, & similia, ut Dei parens ait David: *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Quod autem crucem dicit, ostendit quod sequitur: *Resurge domine in Requiem tuam.* Sequitur enim crucem resurrectionis. Si enim amato- „ rum desiderabilis domus, & amictus, & lectus, multo „ magis Domini & salvatoris nostri, per quæ & salvati su-

mus. Hucusque Damascenus. Ex quo inter multa hoc unum habes, crucem scilicet adorandam, & hoc eodem Propheta testimonio adjutus, quo Casiodorus. Ne vero Joannes Vvicleph subterfugiat ad quamdam crucem spiri- „ tualem quam fingit, ad quam auctoritates detorqueat, vide quid Damascenus dixerit: In quo ligno semetipsum in hos- „ tiam pro nobis Christus obtulit, non obtulisse nisi in ma- „ teriali ligno eoque ad portandum gravissimo. Præterea hanc ipsam adorationem confirmat totius universalis Eccle- „ siæ ritus & consuetudo, quæ statuit ut in feria sexta Parascève post decantatum ex Joanne Evang. nobilem illum triumphum, quem per crucis mortem Christus illa die ac- „ quisivit, elevetur crux in sacerdotem, ut à populo adoretur: deinde cruce ipsa in loco honesto collocata, sacerdotes eam genibus flexis adoret, post quem ministri alii altari deser- „ vientes, post quos cæteri quoque officio adstantes similiter adorent. Ecclesiæ autem universalis traditio (ut supra longius differuimus) tanti est ponderis, ut qui illi obstat, non minus censetur hæreticus, quam si expresse scrip- „ turæ contradiceret, præcipue in rebus gravibus, & in quibus errare magnum esset periculum. At ubi magis in- „ terest non errare, quam circa cultum exhibendum? Ni- „ hil enim Deus magis abominatur, quam idololatriam, adeo ut nomine abominationis sæpe in sacris litteris idolo- „ latræ designetur. Non est ergo verisimile ut per tot sæcula Ecclesia universalis, pro qua dominus rogavit ut fides ejus non deficeret, idololatriæ labe macularetur, quemadmo- „ dum illi impingit impius & blasphemus Vvicleph. Accedit huic omnium sanctorum de hac re sententia. Nam præter Hieronymum, Damascenum & Casiodorum quos jam citavimus, sunt alii multi qui de hac re testimonium præbent. August. super Joannem tract. 36. sic ait: „ Quid „ servat fidei suo, qui talem honorem dedit supplicio „ suo? Denique modo in penis reorum non est apud Ro- „ manos. Ubi enim crux domini honorata est, putatum est quod reus honoretur. „ Hæc Augustinus. Non est jam cur nos irideat Vvicleph propter honorem quem cruci exhibemus, cum illum Deus illi dederit, dicente Augustino: Quid servat fidei suo, qui talem honorem dedit supplicio suo? Chrysostronus super Matthæum homi- „ lia 54. sic ait: „ Hæc enim crux orbem terræ flavavit, „ errorem abegit, veritatem reduxit, terram cælum fe- „ cit, hæc homines Angelos fecit, propter hanc dæmo- „ nes non adhuc terribiles, sed contemptibiles, neque „ mors sed somnus profert, propter hanc omnia in ter- „ ram projecta sunt, & conculcata quæ impugnabant „ nos. Si ergo tibi dixerit quis, Crucifixum adoras? & „ si deriserit, lachrymare, quoniam insanit. „ Hæc Chry- „ sostronus. Lachrymur ergo pro Vviclephitis, com- „ patiamurque illis, quoniam ex dicto Chrysostroni insa- „ niunt: si insaniunt, justius esset eos catenis vincere, quam argumentis. Quem teipsum ergo Vviclephi facis, ut con- „ temptis Hieronymo, Augustino, Chrysostrono, Damas- „ ceno, Casiodoro, tuæ tantum prudentiæ innitaris? Cum enim tam grave crimen, quale est idolatria, toti Ecclesiæ impingere non erubescis, quare vel unicum testimonium in ro- „ bur tuæ criminationis non adducis? Vis ut credatur tibi sine ullo scripturæ testimonio magis quam tot illustribus viris? quam etiam totius universalis Ecclesiæ traditioni & consuetudini? Cæterum quod Ecclesiam de idolatria notas, hoc discutiamus, & videamus quam ob causam id dicas. An forte quia Christi fideles coram dominica cruce genua flectunt, nudarumque inclinant verticem? Levis certe causa pro qua tantum crimen obijciatur Ec- „ cle-

clesiæ. Nam cum exterior adoratio, ut quæcumque ex- „ terior operatio, non sit bona aut mala censenda, nisi qua- „ tenus ab interiori procedit, talem oportet bonitatis & „ malitiæ denominationem suscipi, qualem retinet opera- „ tio interior à qua derivatur. Hæc enim sola ratione Judæo- „ rum illudentium genuflexiones, adorationesque culpantur, quod ex mala radice, nempe irrisione procedebant. Propter quod id inquirendum est, à qua scilicet radice talis exterior cultus oriatur. Si ideo quispian coram cru- „ ce flectit genua, aut inclinat caput, quod eam credat esse aliquid numen, aut aliquid supremum bonum, merito talem criminaveris, neque ob istam causam à te disceda- „ mus. Sin vero ideo genua flectit, quia visa cruce recor- „ datur in illa aut alia simili Christum pro nobis pependisse, gratiaque illi pro tam immenso beneficio nobis exhibito genua flectendo reddit, quid hic criminari nisi nulla est criminandi causa? Nonne tu credis Christum cruci fuisse pro nobis affixum? Aut si credis quom id in memoriam reduces, nonne amantem redamas? Quod si istorum alterum negas, vel hoc solo argumento convinceris. Sin autem utrumque istorum præstas, cur nos accipias quod illa præstamus? Nam illæ prostrationes, capium nudationes, manuum elevationes coram cruce factæ, nihil aliud significant, quam quod per illa testamur nos credere Christum in alia simili pro nobis pependisse, atque ob tantum beneficium, cujus memoria per crucis aspectum innovatur, servitorem & obsequium genuflectendo profitemur. Quæ omnia cum sint ab omnibus, & ab ipso etiam Vviclepho comprobata, hoc argumento convincitur, non solum eam crucem merito adorandam, in qua dominus pependit, sed reliquas omnes quæ illius veræ sunt imagi- „ nes. Nam ad aspectum earum æque intellectus nos in memoriam reducit crucifixi, quem per talem genuflexionem vere adoramus. In hoc tamen omnes reliquæ ab illa in qua Christus pependit, superantur, quod illa contactu carnis & sanguinis Christi quodammodo sanctificata fuit. Nec tamen ideo aliæ adorandæ non sunt. Unde Damascenus loco superius allegato: „ Adoramus etiam „ figuram prætiocæ & vivificæ crucis, tamen si ex alia ma- „ teria facta est: non materiam venerantes (absit enim) „ sed figuram tamquam Christi signum. Dixit enim dif- „ cipulis suis contestans: (Mat. 24.) *Tunc apparebit signum filii hominis in cælo*, crucem dicens. Et paucis in- „ terpositis subjungit, dicens: Adorandum est igitur sig- „ num Christi: ubi enim fuerit signum ejus, illic & ipse „ erit. Materia autem ex qua figura crucis exprimitur si- „ mus, ipsi reverentiam pietatisque cultum exhibentes. „ Hactenus Damascenus. Hinc jam manifeste patet quali- „ ter ex ea adoratione quam cruci exhibemus nulla idolola- „ triæ suspicio manare potest. Nam cum omnia quæ Deo adjacuerunt, adoramus, Deo soli in hoc reverentiam ac- „ pietatis cultum exhibemus. Hoc etiam confirmat Augu- „ stinus in lib. de Visitat. infirmorum inquit. „ Habent siqui- „ dem Christianorum arcana, illius dominicæ crucis quod- „ dam venerabile monumentum, quod de crucis ipsius „ imaginatione crucem cognominant, quod nos etiam „ omni veneratione dignissimum fatemur, & ad recor- „ dationem Crucifixi nostri veneramus. Habetur enim in „ cruce quædam hominis verbera patientis imago, per „ quam saluifera nobis Jesu Christi renovatur passio. „ Hanc complectere humiliter, venerare simpliciter, ta-

men hæc ad memoriam tibi red uces.

Nec Deus est, nec homo præsens quam cerno figura. Sed Deus est & homo, quem signat sacra figura: Verus homo, verusque Deus, tamen unus uterque, Probra crucis patitur, mortem subit & sepelitur. Vvicit & his, crucis hæc per signa triumphat ab hoste. Id notum vobis crucis hujus littera reddidit. Scilicet ipse nota sunt cruce & Crucifixus.

Hactenus Augustinus. Ex his dictis, qui minime cæcus est, jam perspicere valebit qualis sit ista genuflexio, & alia quævis adoratio coram cruce facta, & cui exhibetur, nam ipsi Deo, in cujus memoriam venimus per crucis aspectum, atque ideo gratos nos quodammodo cruci ostendimus, quod tanti beneficii nobis exhibitii memores nos efficiat. Nec mirum quod ipsius Christi cognitionem crucis aspectus innovet, quum illam Christus voce propria appellaverit signum filii hominis. (Mat. 24.) Nam loquens de adventu suo in judicium ait: *Tunc parebit signum filii hominis in cælo.* Quod exponens Theophylactus ait: „ Crux tunc apparebit in cælo supra solem ful- „ gens ad arguendos Judæos. Veniet enim Christus con- „ tra Judæos habens crucem ut magnam sacrificandi ma- „ teriam & testimonium, veluti si quis lapide percussus „ ostendat lapidem. Signum autem dicit crucem tamquam „ trophæum & insigne regium. „ Hæc Theophylactus. Vides hic crucem signum dictam: quod est eo modo dicat Theophylactus signum, quo trophæum, aut vexillum, aut insigne, nihil obstat: nam hæc etiam quodammodo ducunt in notitiam eorum ad quos atinent. Verum hoc clarius beatus Cyrillus explicat. Enim libro sexto contra Julianum respondens illi irritanti Christianos quod crucis lignum adorant, postquam enumeravit beneficia à Christo nobis in cruce exhibita, ait: „ Hæc omnia recor- „ dari nos facit salutare lignum, & suadet ut cogitemus „ quod sicut dicit divus Paulus, unus pro omnibus mor- „ tuus est, & resurrexit. „ Hæc Cyrillus. Hæc jam de hac re dicta sufficiant: quum ex eis constet crucem domini- „ cam, reliquaque ad ejus imaginem factas, merito ado- „ randas esse. Nec tamen ex hoc idololatriæ scrupulus ur- „ gere debet, quum in ea adoratione nihil aliud cruci tri- „ buamus, quam quod credimus Christum Dominum in ea aut alia simili pro nobis omnibus mortem subiisse, tan- „ tumque beneficium cognoscentes, quod ex crucis aspectu recordamus, genibus flexis, nudatoque vertice, servi- „ turem profitemur. Denique adoratio ipsa etsi coram cruce fit, mens tamen nostra ad id solum fertur, quod crux ipsa repræsentat, Dei scilicet filium olim in cruce pendentem. Contra hanc hæresim scripsit vir diligentissimus Thomas Vvaldensis, libro de Sacramentalibus, titulo vigesimo. Ab ipso certe fateor me aliqua accepisse, pluri- „ ma etiam contuli. Scripserat etiam olim Jonas quidam Aurelianensis Episcopus de hac re contra Claudium Taurinensem Episcopum, primum hujus hæresis parentem. „ Hoc tamen opus non vidi, sed sola historię relatione habeo ex fragmento Chronicon Ivonis Carnotensis per Thomam Vvalden. citato. „ Secunda de hac re orta est hæresis asserens Sacratissi- „ mam Eucharistiam non esse ullo pacto adorandam, crimen idololatriæ impingens cuicumque eam adoranti. Hujus hæresis auctor est Joannes Oecolampadius, natione Ger- „ manus, vir trium linguarum, & omni genere bonarum litterarum apprime doctus, sed tandem spiritu elationis ductus sapere voluit plus quam oportebat, atque ideo factum est, ut Deo permittente in insipientia sua depre- „ hen-

rum (ut ille ait) justificatur. Ut autem clarius pateat quibus renebis sit involutus Lutherus, percontari oportet ab eo, quid per absolutum intelligat. Aut enim intelligit eam super quem sacerdos dixerit verba absolutionis, aut eum qui iam liber est à reatu gehennæ, & solutus est à nexibus peccatorum. Si eum dicat absolutum super quem sacerdos dixerit verba absolutionis, falsum est quod ait illum esse absolutum. Nam possibile est ut aliquis in proposito peccandi existens, super quem sacerdos verba absolutionis dixerit, credat se absolutum, quoniam credit verba absolutionis dicta super illum, quis tamen diceret hunc esse justificatum? Similiter possibile est ut sacerdos aliquis erraret in forma absolutionis, ut videlicet non tenuerit formam ullam, sed solum diceret aliquid aliud huius negotio impertinens, & tamen penitens confessus credat sacerdotem vera absolutionis verba dixisse, eo quod non intellexerit quid sacerdos dixerit, tunc ille penitens credit se absolutum, quia credit verba absolutionis super eum fuisse dicta, nec tamen est vere (iuxta dictam interpretationem) absolutus, quoniam talia absolutionis verba non fuerunt super eum dicta. Si autem eum dicat Lutherus absolutum, qui ultra absolutionis verba quæ super se dicta recepit, liber est à nexibus peccatorum: tunc assertionis ejus talis erit sensus, ut videlicet ille sit absolutus, id est, à peccato liber, qui credit se esse à peccato liberatum. Qui etiam sensus convincitur esse falsus, per id quod Paulus ait: (1. Cor. 4.) *Nihil mihi conscius sum, sed neque in hoc justificatus sum.* Non enim ex eo quod aliquis credit se esse sine peccato, deo oportet ut sit sine peccato.

Fortè Lutherus dicit talem esse suæ assertionis sensum, ut videlicet dicat quod ille sit absolutus, id est, à peccato liber, qui credit se esse absolutum, id est, qui credit vera absolutionis verba super eum dicta fuisse. Hæc autem assertio sic intellecta quam sit falsa, aperte ostendamus; quoniam est demum Luthero solam fidem justificare, de ea erat capiendum, quæ à quolibet fideli exigitur, sine qua impossibile est placere Deo, ut est de his quæ Christus docuit. At circa absolutionem non exigitur penitentiam ut credat sacerdotem dixisse verba absolutionis, quoniam ea res in toto facto sacerdotis consistit, qui errare potuit: sed id exigitur à penitente, ut credat verba absolutionis à sacerdote prolata vim habere à Christo talem, ut peccatorem à peccato solvant. Quapropter etiam si daremus Luthero primum quod proponit, videlicet solam fidem justificare: solum inde colligere licet penitentiam absolutum, cum crederet sacerdotem talem habere potestatem, ut verbis absolutionis ab eo prolatis, penitentem absolvat. Quod si aliquis ideo dicendus esset absolutus, id est, à peccato liber, quia credit se esse absolutum, id est, verba absolutionis super eum dicta, sequeretur inde eum qui haberet in voto peccatum, esse liberum à peccato, si verba absolutionis super eam dicat sacerdos. Nam talis quamvis proponat se in posterum peccaturum, bene tamen credit se esse absolutum (iuxta præfatam interpretationem) quia credit sacerdotem super eum dixisse verba absolutionis. Verba ergo Lutheri ut aliquam habeant apparentiam, sic accipienda sunt. Is vere est absolutus, id est, à peccato liber qui credit se esse absolutum, id est, qui credit talem potestatem in sacerdote, ut verbis absolutionis ab eo super penitentem prolatis penitens ipse habeat absolutum, ita scilicet ut penitens utrumque cre-

dat, videlicet sacerdotem dixisse absolutionis verba super eum, & credat ut illis dictis à sacerdote supra penitentem, penitens sit absolutus. Et de hac fide dicit quod ea sola justificat. Ut autem hoc manifeste falsum esse appareat, considerare oportet, quod prius sacerdos verba absolutionis profert, quam penitens credat se esse absolutum. Nam si verbis nondum finitis crederet se esse absolutum, falso crederet, quoniam nondum absolutus est. Nisi forte Lutherus tantum credulitati penitentis arroget, ut in universum verbis absolutionis à sacerdote prolatis deroger. Quod si Lutherus dixerit totam absolutionis vim ex sola penitentis credulitate pendere, fateatur necesse est, ut is apud eum absolutus dicatur, qui credit se absolutum, etiam si nulla verba super eum dicta sint, atque ita verba illa omnino superfluerent, & frustra dicerentur. Quod si non frustra dicuntur, & aliquid in penitente operantur, tunc queramus quid operantur. Si justificationem, aut absolutionem, falsum est ergo quod sola fides justificat, ut Lutherus dixit, immo nunquam esse possibile fidem justificare: quoniam is qui credit se esse absolutum, aut vere credit, aut falso. Si falso credit, ergo non est absolutus, quia non ita est ut erodebat: credebatur autem se esse absolutum, non est ergo absolutus. Si autem vere credit se esse absolutum, quam prius verba absolutionis dicantur: & postea penitens credulitas succedat, petam ab eo quando hic penitens fuit absolutus, utrum finis verbis absolutionis antequam credulitas accedat, an post adhibitam penitentem fidem. Si tunc est absolutus quando verba finiuntur antequam fides accedat, clarum est penitentem tunc non justificari per fidem, sed per sola verba absolutionis. Si vero tunc est absolutus quando verbis absolutionis jam prolatis fides penitentis accedit, qua credit se esse absolutum: tunc peto à Luthero quid talis penitens credit, quando dicit illum ex sua credulitate fuisse absolutum. Aut enim solum credit ipsum fuisse absolutum, id est, verba absolutionis super ipsum fuisse dicta, & hoc nihil est, neque hanc credulitatem sufficere ut quis justificetur, jam clare ostendimus. Aut credit quod finitis absolutionis verbis fuerit absolutus à peccato, & tunc falso credit, quoniam (ut dicit) nondum est absolutus finis finitis absolutionis verbis, quousque fides accedat, ergo cum credit se jam fuisse absolutum, falso credit. At per falsam fidem nemo justificatur. Si autem credit se absolvi per suam fidem, oportet dicere quod tunc sit absolutus quando credit se fuisse absolutum per suam fidem, ergo ut quis dicatur quod credit se esse absolutum, opus est fide quadam reflexa, ut videlicet credat sacerdotem dixisse verba, eumque habere potestatem à Deo sibi collatam: & deinde iterum credat per priorem fidem quam habuit, se fuisse absolutum. Nec antea umquam poterit dici quod credit se absolutum. Non est enim possibile, immo nec intelligibile, ut per eandem fidem per quam aliquis absolvetur, & justificatur, per eandem credat se jam fuisse absolutum. Quod si est alia fides per quam absolvetur, & alia per quam credit se esse absolutum, falsum esse etiam oportet quod dicit, ut videlicet is solum sit absolutus, qui credit se esse absolutum: quia si per priorem fidem absolvetur, etiam si secunda fides non accedat, nihil hominis erit absolutus. Attende bene obsecro, lector, & diligenter circumspecte hæc omnia, & clare videbis quantis se tenebris Lutherus involvat, & quibus sit laqueis implicitus, ita ut explicari eum sit impossibile.

Demum ut huius negotio finem imponamus, inter assertiones Lutheri condemnandas à Leone decimo, hæc de qua hucusque disputavimus, una est. Deinde Concilium Tridentinum sessione quarta celebrata sub Julio tertio, canone nono, hanc sententiam Lutheri damnavit, sic dicens: „Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicalem, sed tantum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata contenti: modo tantum credat se esse absolutum, etiam si sacerdos non serio sed joco absolvat, aut dixerit non requiri confessionem penitentis, ut sacerdos ipsum absolvere possit, anathema sit.“ Hactenus Concilium Tridentinum. Contra hunc Lutheri errorem scripsit Joannes Rossensis Episcopus, vir doctus simul atque religiosus, in eo libro quem contra omnes articulos Lutheri composuit. Scripsit etiam longius Jacobus Latomus in ea assertionem quam composuit damnationis factæ ab Universitate Lovaniensi super articulis Lutheri. Alium autem vidi neminem qui de hac re tractaverit, quamvis plures legerim qui contra Martinum Lutherum scripserunt.

Secunda de hac re hæresis est quæ dicit puerum, ac mulierem æque absolvere ut Papam. Hujus hæresis auctor Martinus Lutherus, is de quo nunc proxime rationem dedimus: Ut autem clarius ejus insana mens appareat, verba ejus referat, & sunt quæ sequuntur: in Sacramento penitentiae, ac remissione culpæ, non plus facit Papa, Episcopus, quam infimus sacerdos, immo ubi non est sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiam si mulier, aut puer esset. Hæc Lutherus. His verbis duo miscet Lutherus. Primo quidem dicit in penitentiae absolutione omnes sacerdotes esse pares, ita scilicet ut omnes sacerdotes parem absolventi potestatem habeant. Secundo dicit omnes Christianos posse absolvere, etiam si foemina sit. Primum istorum si recte intelligatur, illi concedimus, videlicet omnes sacerdotes quantum ab absolutionem culpæ parem habere potestatem. Cum enim juxta Augustinum impium sit à Deo dimidiata sperare veniam, nunquam est dicendum quod aliquis sit absolutus ab uno peccato, & non ab alio. Quapropter oportet fateri sacerdotem qui penitentem absolvit absolvere ab omnibus, aut à nullo. Et ita quando absolvit simplex sacerdos, tantum absolvit de culpa sicut Papa. Non est enim imaginandum quod majorem partem culpæ deleat Papa per suam absolutionem, & minorem partem deleat infimus sacerdos, sed uterque eorum à tota culpa absolvit, aut penitus non absolvit. Quod autem adducit de casibus reservatis, à quibus infimus sacerdos absolvere non potest, nullo modo tollit nostrum propositum, quia quod non absolvat, non est ex defectu potestatis, sed ex defectu jurisdictionis, quia videlicet penitens non est illi subiectus, quod maxime requiritur ad hoc ut sacerdotis sententia super eum lata sit valida. Sententia siquidem à non suo iudice lata, nulla est. Papa ergo latorem habet potestatem quam infimus sacerdos, quia plures habet subditos quam infimus sacerdos. Infimus autem sacerdos circa suum subditum, si plene illi subditum, parem habet absolventi potestatem cum Papa, quia æque à tota absolvit culpam, sicut Papa. At non sic de peccata ultra absolutionem, & de peccata quæ restant persolvenda, potest Papa, vel partem, vel totam relaxare, sicut circumstantia se offert. Infimus autem sacerdos, ultra absolutionem à culpa nunquam propria auctoritate po-

test in universum à peccata absolvere. De paritate sacerdotum quantum ad absolutionem culpæ, hæc dixisse sufficit. Jam opus est ut de reliquo disputemus quod Lutherus ait, quemlibet Christianum etiam si mulier, aut puer esset in absentia sacerdotis æque bene absolvere, sicut quilibet sacerdos. Hæc autem ejus assertio ex prima hæresi quam de hac materia narravimus, atque oppugnavimus, fluit. Superius namque diximus Lutherum sentire totam vim ad culpam delendam, ascribendam esse fidei credentis, & nullo pacto ministro. Quapropter ex isto fonte colligit & etiam si mulier, aut puer hæc verba proferat, peccator hæc audiens, & credens, statim absolutus est. Ut autem clarissime convincamus hoc esse falsum, atque hæreticum, percontari oportet à Luthero, an si penitens audierit à Pfitacco illa verba absolutionis, utrum Pfitaccus absolvet, & penitens esset absolutus. Si dicat Pfitaccus absolvet, quid absurdum dici potest, & magis impium? Sin vero neget Pfitaccus absolvet quamvis dicat verba absolutionis, oportet eum fateri aliquam esse potestatem in ministro proferente verba, qua deficient in prolatore verborum, nihil sit. Nam si nulla esset in ministro virtus, aut potestas, nihil profus referret quis esset prolator verborum, modo verba integrè proferret. Hæc autem quam sunt absurda, nullus est qui non videat. Quod si potestas necessario exigitur in ministro prolationis, & hanc constat non fuisse à Christo collatam mulieri, convincitur inde mulierem non posse absolvere. Verum hic scio Lutherum negare talem potestatem minime collatam fuisse mulieri, immo constantissime affirmat Christum illam potestatem dedisse omnibus Christianis. Hoc autem constat esse falsum, quoniam talis potestas fuit à Christo collata per illa verba quæ Christus post resurrectionem dixit Discipulis suis: (Joann. 20.) *Quorum remiseritis peccata, remissa erunt: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Cum autem Christus illa dixit, ibi non erat aliqua mulier ad quam possent illa verba spectare, sed solum erant Apostoli ad quos solum illa verba dirigebantur. Quod si Lutherus dicat potestatem illam fuisse à Deo collatam per illud quod habetur apud Matthæum: *Quicumque ligaveris super terram, erunt ligata & in celo:* etiam si hoc daremus Luthero, eadem pro nobis militat ratio, quoniam tunc cum illa dicebantur, nulla etiam erat mulier (ut ex historia Evangelii patet) sed solum erant Apostoli, atque alii Discipuli quibus illa verba dicebantur. Unde colligere oportet, solos Christi Discipulos, eorumque successores, videlicet sacerdotes, illam potestatem à Christo accepisse. Quod si Lutherus adhuc contendat verba illa quæ solis Discipulis suis Christus dixit, ad omnes Christianos esse referenda, oportet tunc eum fateri, mulierem etiam posse consecrare Corpus Christi: quia cum Christus dixit Discipulis suis: *Hoc facite in meam commemorationem:* oporteret etiam illa verba ad omnes Christianos referre. Similiter oporteret concedere posse predicare, quia Apostolus dicitur: *Ite, predicate Evangelium omni creatura.* Et tamen Paulus dicit se non permittere mulierem predicare. (1. Tim. 2.) Rursum ut hominem undique vallemus, hoc oportuit discutere, quod Lutherus dixit mulierem posse absolvere ubi sacerdos non est. Hæc autem dicta alteri ejusdem Lutheri assertioni maxime repugnant. Lutherus namque ait (ut infra longius differemus) omnes Christianos esse sacerdotes. Si ergo juxta Lutherum omnes Christiani sunt sacerdotes, non est certe possibile ut mulier sit ubi sacerdos non est.